

vero alteram Nuendorf, quę ultra Albiam sita est, hac interiecta conditione optineat, ut eam filio eiusdem marchionis Cŕnradi in beneficio concedat, ipse vero marchio villam, quę dicitur Góluz, libere possideat. Omnes autem villę Misinensis ecclesię, quę in provincia Nisan sitę sunt, ab ędificatione castrorum marchionis et a publicis vigiliis absolute 5 sint. In provincia vero Mitlse villę episcopi et fratrum tres stupas in castro Budesin construant et publicas vigiliis secundum morem terrę faciant. In provincia autem Zagóst villę episcopi ab ędificatione castrorum marchionis absolute publicas tantum faciant vigiliis. Decernimus ergo et regia auctoritate precipimus, ne aliqua umquam persona magna seu parva hanc controversiam hoc modo sopitam aliquo ingenio refricare presumat, sed ea, 10 quę in nostra et principum presentia discretis rationibus diffinita sunt, omni deinceps tempore rata et illibata permaneant. Ut autem hęc ab omnibus credantur et inviolata conserventur, hanc cartam inde conscriptam sigilli nostri impressione insigniri iussimus manuque propria, ut infra apparet, corroborantes. Qui presentes aderant testes, subternotari fecimus. Quorum nomina hęc sunt. Fridericus Magdeburgensis archiepiscopus. Reinhardus Merse- 15 burgensis episcopus. Vdo Nuenburgensis episcopus. Buggo Wormatiensis episcopus. Wibaldus Stabulensis abbas. Anselmus Haulbergensis episcopus. Adelbertus marchio et filius eius Otto. Sizo comes. Herimannus Misinensis prefectus. Heinricus prefectus. Gero et frater eius Öthelricus. Comes Hoigerus.

:Signum domini Cŕnradi Romanorum regis secundi (M.):

20 :Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.: (SJ.)

Anno dominicę incarnationis MCXLIII, indictione VII, regnante Cŕnrado Romanorum rege II., anno vero regni eius VII, data est apud Merseburch; in Christo feliciter amen.

25

176.

*König Konrad III. eignet der Kirche zu Bürgel 100 Königshufen im Pleißener Walde, an der oberen Mulde, in der Mark Meißn., — Zeuge: Markgraf Konrad.*

Merseburg, 1144 [nach Okt. 17].

Hdschr.: Kop. Perg. (Saec. XVI.) Gem. Ernest. Archiv Weimar.

30 Gedr.: v. Heinemann, Cod. dipl. Anhalt. 5,283. Stumpf 3452 a.

Anm.: Dem Itinerar zufolge gehört die Urkunde, wie auch No. 177, nach Okt. 17.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Conradus divina favente clemencia Romanorum rex secundus. Quociens ecclesiarum dei loca alicuius doni incremento sublimare vel meliorare studuerimus, antecessorum nostrorum regum et imperatorum exempla 35 imitamur eoque nobis ac nostri regni statui proficere minime dubitamus. Eapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter nos omnipotentis dei causa et ob regni nostri firmam stabilitatem et anime nostre nostrorumque<sup>a)</sup> parentum perpetuam salutem ecclesie beati Georgii in Burgelin ad usus fratrum ibidem deo servientium centum<sup>b)</sup> regales mansos in regali silva Blisinensi in

40 176. a) nostrorum. b) census.